

aut animadversionis. Quinimmo sequenti anno 1626 relaxatus est rigor, quia in responsione ad X. quaesitum indulgetur receptio eleemosynarum manualium etiam non satisfactis praecedentibus oneribus, dummodo infra modicum tempus satisfiat, et in responsione ad XII. dicitur: poenas solummodo impositas quoad onera perpetua missarum. Ideo non mirum si relaxata est observantia et subrepat detestabilis transgressio quoad missas manuales.

Opportunum igitur foret ac sufficiens imponere poenam privationis officiorum ac inhabilitatis ad illa, ulterius etiam regularibus ut magis in hac materia deprehensis, poenam privationis de voce activa et passiva, quatenus formam primi decreti quoad missarum manualium eleemosynas fuerint transgressi, earumque poenarum executionem Episcopis aliisque locorum Ordinariis etiam contra exemptos et cujuscumque instituti regulares autoritate apostolica committere, adjecta ulterius obligatione reddendi rationem iisdem Ordinariis ipsorum arbitrio vel saltem bis in anno, prout de piis dispositionibus provide statuit S. Concil. Trid. Sess. 22 de reform. cap. 8 cum seq.

*Decret de la S. C. du Concile.*

Scribatur Ordinariis locorum et notificetur superioribus regularibus in Urbe ut pro eorum munere incumbant pro observatione omnimode decretorum S. Cong. approbatorum per s. m. Urbani VIII. de anno 1625 et de adimplimento juxta instructionem mittendam doceant quolibet anno S. Congr. Concilii.

Die 13. Maii 1679. (Anal. J. P. 1864 pag. 981).

*Projets de décret et d'instruction.*

A.

Ex pluribus Christi fidelium quaerimoniis immo frequentibus instantiis

Sacerdotum saecularium et regularium considerabilis numeri missarum non celebratarum condonationem petentium Apostolicae Sedi notuit quanti in hac materia abusus irrepserint. Ex quo pia testantium voluntates defraudantur, obstricta benefactoribus fides violatur ac defunctorum animae suffragiis privantur. Et quamvis malis hujusmodi saepe alias opportunis Decretis consultum fuerit, exigit tamen renascens malitia ut iisdem repetitis aliisque super auditis remediis radix tantopere perniciose evellatur. Proinde S. Congr. Emmorum S. R. C. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum etiam auctoritate SSmi D. N. divina providentia Papae Innocentii XI. omnibus et singulis Episcopis, generalibus commissariis ac praesidentibus cujuscumque ordinis Regularium, Congregationis vel Instituti districte mandat ac praecipit quatenus ex eorum debito munere saedulo incumbant ut decreta hujus S. Congregationis de celebratione missarum S. Me. Urb. VIII. auctoritate edita 21. Junii 1625 ab omnibus et singulis Sacerdotibus saecularibus et respective provincialibus Ministris, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis et quibuscumque aliis Superioribus ac Religiosis Monasteriorum, Conventuum ac Domorum Regularium, cujuscumque ordinis, Congregationis et instituti existentium intra fines Italiae ac Insularum adjacentium omnimode et exacte observentur ac singulis annis eandem S. Congr. de adimplimento certificent juxta infra scribendam instructionem: quod si negligentes fuerint, sciant se praetermissi muneris rationem esse reddituros, quodque quoad regulares eorum subditi circa praetermissa subjicientur ordinariis locorum, quibus propterea executio demandabitur.

Ne autem praesens decretum absolvascat neve ullo unquam tempore

ejus ignorantia praetendi valeat, mandatum eadem S. C. illud inseri et assertari in libris constituit. cujuscumque ordinis, Congregationis vel instituti declarando ulterius, quod notificatio decreti superioribus de praesenti existens, semel facta ligat omnes et quoscumque eorum successores, aequae ac si ipsis successoribus specialiter ac legitime fuisset intimatum.

(*Mss. Card. Casan. t. VI. lett. M. pag. 52.*)

*Instructio,*

de qua est sermo in designando decreto, per Vicerium Cardinalem idiomate italico redacta est, qui in initio sermonis perturbationes ex inobedientia erga decreta S. C. C., S. ap. Visitationis et Vicariatus exortas in memoriam redigit sicut et mandatum vivae vocis S. S., ut omnia, quae res tractanda complectitur, componantur. Quapropter Eminentissimus has dispositiones ex hoc in omnibus Sacristiis observandas praescripsit.

1) Duo libelli efficiantur; in quorum uno describendae sunt obligationes perpetuae cum designatis capellanis vel administratoribus, qui occasione absentiae capellanorum vel vacaturae funguntur, ne oriatur interruptio onerum complendorum; in altero describentur missae manuales designando intentionem benefactoris eleemosynam pro missa celebranda offerentis, e. g. pro defunctis, in honorem alicujus Sancti vel etc. Quoad easdem obligationes omnis sacerdos, qui missam fundatam persolvit vel persoliturum pollicetur, et nomen et diem designet quo obligationem compleverit.

2) Superior ecclesiae designet sacristam vel aliam arbitrio suo eligendam personam, quae praesente benefactore eleemosynas manuales accipiat, in libello ad hoc designato describat et in capsula separata reponat.

3) Capellani fundationes perpetuas explere demandati obligationibus ipsi religiose satisfaciant sicut et eorum Substituti, qui funguntur occasione justae impedimenti; itidem celebrationem missarum obligatarum nec differant nec eas deperituras esse permittant.

4) Missae, quae in specialiter designata ecclesia vel altare celebrandae offeruntur, nec in variis ecclesiis nec altaribus persolvantur.

5) Syndicus apostol. monachorum mendicantium etiam Capuccinorum in libello eleemosynam et oblata, quae ei offeruntur, praesente benefactore designet et postquam missae sunt celebratae, Sacrista eas in alio libello describat, qui cum eo sub n. 1. designato concordat. Denique superior localis eleemosynas vel oblata a Syndico designata in tertio libello describat.

6) Praeter hoc praescriptum modum missas mendicare vel legendas offerre nemini licet, nam alias earum implementum nullatenus est certum.

7) In fine mensis uniuscujusque Superiores saeculares et regulares missas fortuito oblatae reputent, quae ex eis in mense subsequenti celebrandae sint, ut cito impleantur; est enim interdictum plures acceptare missas, quam quae infra spatium *unius mensis* praeteriti nondum sunt impletae.

8) Quae quidem praescriptiones Sacristas, Superiores locales, clerum omnesque ecclesias saeculares sub poena viginti quinque scutorum piis locis applicandorum obligant, Regulares vero sub poena privationis munerum, perpetuae inhabilitatis alia obtinendi et vocis activae et passivae sine praedictio aliorum atque aliis arbitrio Vicarii Cardinalis poenis imponendis.

Animadvertemus infra hanc instructionem in primo edicto approbatam

et a Secretario Visitationis apost. sub Clem. PP. XI. anno 1704 esse publicatam.

B.

Perché le provisioni altre volte fatte per decreti della Sacra Congregazione e della Sacra Visita Apostolica, edanco del nostro Tribunale concernenti la celebrazione delle messe tanto perpetue come manuali, oltre la puntuale esecuzione che devono avere trovino anco pronte la giustificazione dell' adempimento, per ordine espresso della Santità di N. S. datoci a bocca abbiamo voluto prescrivere la forma di dette giustificazione da osservarsi in tutte le sagrestie delle chiese etc. Ed è

1) Che si abbiano a tenere nelle sagrestie due libri in uno dei quali siano notati conordine tutti li pesi ed obblighi perpetui per l'adempimento dei quali s'assegnino particolari capellani ed in vacanza, o impedimento se ne sostituiranno altri, quali a giorno, o nei tempi, che sono prescritti dalle lascite dei fedeli debbano di propria mano notare il giorno, mese ed anno nel quale avranno celebrata la messa. Nell' altro libro poi si noteranno l'elemosine manuali con notificazione della causa in che sono date cioè per messa di defonti, di tal santo secondo l'intenzione, o altro e semilmente di contra di detta annotazione d'elemosine s'esprime da celebranti l'adempimento della forma ingiunta da che ha dato l'elemosina con sottoscrizione del medesimo celebrante comedi sopra delle messe perpetue si è detto.

2) Che queste elemosine di messe manuali si notino al libro, e si ponghino in una cassetta distinta per il ricevimento di esse, il tuto a visita di chi avra data l'elemosina quale non possa riceversi, se non dal sagrestano o alto depositario, che sarà a ciò destinato dal superiore della chiesa.

3) Che li Capellani assegnati per la sodisfazione dell' obblighi perpetui non possimo per qualsivoglia urgente causa ancorche d'esequie di defonto esposto in chiesa posporre la precisa e dovuta sodisfazione pel suo obbligo se non in caso di legittimo impedimento e con sostituire altro, che adempia in suo luogo in modo, che non s'alteri ne si differisca la celebrazione che a lui tocca.

4) Che le messe lasciate a dirsi in chiesa o altare particolare non possono celebrarsi in altre chiese o altari se non a quelle o quelli contemplati da chi ha data l'elemosina, ogni volta che non vi sia qualche indulto o privilegio particolare in contrario.

5) Che il Sindaco chiamato Apostolico de religiosi mendicanti etiam Cappuccini quali non possono ricevere denaro, debba avere un libro dove a vista dell' offerente o benefattore debba descrivere tutti li danari, e robbe, che si daranno per celebrazione di messe, ed il superiore locale parimenti debba avere un simile libro per registrare tutte le polize e robe, che riceverà da detto Sindaco, e dall' offerenti ad effeto di celebrar messe, per la sodisfazione delle quali messe dovrà il Sagrestano tenere libro o libri nella conformita che si dice di sopra accio che sempre apparisca la specifica sodisfazione di quelle.

6) Che non sia lecito a qualunque persona tanto religiosa come secolare fuori di questo modo prescritto questuare o ricevere elemosyna tanto in danaro come in robbe in celebrare messe, advertendo li fedeli quali fuori di questo modo daranno elemosyne per messe, che non saranno sicuri della sodisfazione.

7) Che nel fine di ciasum mese tanto i superiori secolari quanto regoiari debbano rivedere l'obblighi delle messe per eleemosyne ricevute, per

sodisfarle onninamente nel mese futuro con proibizione o interdeto di non poterne ricevere più del messe susseguente finchè non avranno sodisfatto all' obblighi dell' elemosine date nel mese passato, e conoscendo non potere commodamente adempire nelle loro chiese le messe per le quali viene lasciata l'elemosina, lascino onninamente di riceverla perchè non resti defraudata l'intenzione di chi l'offerisce o più lungamente del dovere pro crastinato di sottisfare all' obbligo che vien loro imposto dall' intenzione dei decreti.

8) Tutte le quali e singole cose dovranno adempire, ed inviolabilmente osservare tanto li superiori locali, come li sagrestani sotto pena per il Clero, e chiese secolari a scudi 25 per ogni contravenzione da applicarsi ai luoghi pii, e per li regolari di privazione de loro officii e di perpetua inabilita d'ottennerli in avvenire ed anco di voce attiva e passiva senza altra dichiarazione precedente ed altri tanto come per l'uni come per l'altri a nostro arbitrio. Datum Romae ex aedibus nostris hac die . . . . . (Mss. Casanat. t. VI., lett. M. p. 54).

#### Vota Emorum PP.

Die Martii 26. 1860 in aedibus Em. Fachenetti habita fuit Sacra Cong. particularis super negocio missarum non celebratarum propositisque tribus dubiis seu inspectionibus in folio descriptis

#### Emmus Fachenettus

censuit expediendum decretum A cum instructione B illudque ubique observandum, non solum in Italia. Caeterum Rev. Fabrica S. Petri prosequatur in compositionibus faciendis.

#### Emus Othobonus

censuit: quoad onera et legata perpetua sufficienter provisum. Quo vero

ad eleemosynas, quae dantur ad manus, delendam esse praefationem decreti A utpote quae videtur injuriosa sacerdotibus et potius dicendum ut securius ac tutius adimpleatur mens testatoris, donatoris etc.

Circa idem decretum animadvertit non esse possibile, quod observetur conditio illa de dandis eleemosynis Sacristae vel Superiori, quia fidelium devotio arctaretur iique ut plurimum dant sacerdotibus benevisis.

Suggestit tamen e re futurum si hoc ponatur inter casus reservatos et quod obligati sunt ad restitutionem.

Rursus praescribi posse, ut unusquisque Superior localis in fine officii reddat rationem Capitulo de eleemosynis perceptis et de adimplemento sub poena privationis vocis activae et passivae, dum caeteroquin existimat clausulam illam de subjiciendis regularibus Episcopo esse delendam. Quo vero ad parochos posse cogi sub poena suspensionis et Episcopi partes erunt in actu visitationis de istis inspicere. His aptatis pro observantia resolutionis scribendum ad omnes, non solum pro Italia, et Rev. Fabrica prosequatur. Descendendo itaque ad dubia proposita respondit:

Ad 1: *Minuenda et respective addenda supra notata.*

Ad 2: *Edendum decretum pro toto orbe.*

Ad 3: *Providendum in casibus particularibus prout hactenus fuit servatum.*

#### Emmus Pius

stetit in voto Emmi Othoboni.

#### Emmus Carafa

censuit videndum de qualitatibus onerum, quae distinguantur per capita in missis perpetuis, et in sola Italia.

#### Emmus de Carpineo

ad 1. respondit: distinguendum pro missis perpetuis ut ad proximum.

Ad 2: Edendum pro toto orbe.

Ad 3: Salvis juribus Rev. Fabricae S. Congr. Concilii procedat juxta solitum.

*Emmus Columna*

ad 1. respondit: non esse necessarium decretum sed observantiam jam editorum; sed quatenus requiretur moderandum, etiam juxta sententiam Emmi Othoboni.

Ad 2: Edendum pro toto orbe.

Ad 3: Providendum in casibus particularibus.

Hac occasione consideratum fuit difficultatem etiam orituram ab ordinibus datis de non promovendo ad titulum patrimonii, quoniam, quo minor erit sacerdotum numerus, eo major erit numerus omissionis missarum.

*Votum Patris Lamiae Procuratoris Generalis Congregat. Canonic. Lateranensium.*

Quid dicendum sit de Missis, quae omittuntur, et quale remedium adhibendum sit, ne imposterum omittantur.

Onera missarum *ex fundatione* instituta vel negliguntur, quia redditus attenuati sunt et nullum remedium nisi reductio, unde posset S. C. ordinare Episcopis et Regularium praelatis, ut exponerent similia onera in eorum ecclesiis respective subjectis ad effectum illa reducendi.

Vel negliguntur eo quia collegium non tenet numerum sufficientem sacerdotum pro celebratione missarum. Huic jam applicavit remedium Sac. Congr. in Decreto anni 1625. §. postremo, ibi taxando cuique monasterio numerum regularium sufficientem onera portare juxta quantitatem reddituum seu eleemosynarum. Unde nil peragendum de novo, nisi inquirere an observetur.

Vel negliguntur, quia nova onera recipiuntur, cum vix numerus laxatus

sacerdotum sufficiat pro oneribus jam antiquitus impositis. Huic malo subvenit in §: *Ad haec*, ubi prohibet susceptionem onerum similium cuicumque Collegio, quovis nomine nuncupetur, sine licentia superiorum respective modum suscipiendi onera de novo.

Vel denique omittuntur, qui eleemosynae in pecunia numerata vel mobilia consumantur in alios usus et ipsis expensis ac decoctis non remanet capitale fructiferum, et sic negligitur missarum celebratio.

Huic occurrit etiam S. Congreg. in §: *Praeterea*, ubi vult statim deponi hujusmodi pecunias vel mobilia penes tertiam personam, donec implicentur in bonis immobilibus fructiferis etc.; certe non ob aliam rationem praeter expressas mihi videtur posse omitti missarum perpetuarum celebratio. Unde cum provisum jam sit, sufficit nunc exigere observantium decreti.

Onera missarum *manualium* vel negliguntur quia administratores Collegii recipiunt eleemosynas pro novis oneribus et non possunt intra modicum tempus istic satisfacere, eo quia sunt antiquis etiam nunc onerati et sic tractu temporis redduntur impotentes etc. Huic manum posuit S. Cong. in citato §: *Ad haec*, ubi prohibet cuicumque novas eleemosynas recipere nisi satisfactis prioribus oneribus. Et rursus se declarat in responsione ad undecimum, ubi concedit posse quidem novas eleemosynas recipere dummodo possint prioribus satisfacere intra modicum tempus. *In praesens posset declarare S. Congr. quid intelligat pro modico tempore.* Doctores fere communiter intelligunt spatium duorum mensium ad summum. Ita Quartus in rubricis Missal. Appendice de sacrificio punct. primo difficult. 2, ubi dicit quod colligitur ex Can. *Praesertim* 7. q. 1 et ex Trid. Sess. 23. de reform. cap. 1. docentibus absen-

tiam Parochi per duos menses a sua parochia esse modicum tempus. Unde doctores, quos ipse Quartus citat, deducunt etiam in celebratione Missarum dictam dilationem esse modicam.

Vel non celebrantur missae manuales quia sacerdotes avaritiae studentes attenuant stipendia recepta retinendo sibi partem pitantiae et alteram tradendo sacerdoti ut celebret; hic vero ob tenuitatem stipendii non curat missam celebrare. Huic pariter subvenit S. C. in §. *Ac similiter*, ubi prohibet retinere partem stipendii et se explicat in responsione ad 7., similiter in §. *Deinde* vult, ut cuicumque stipendio etiam exiguo debeatur una missa, et sufficienter super hoc se explicat in responsione ad 2. Hoc tamen non obstante, ut etiam collegiis et sacerdotibus imposterum provideat de justo stipendio in §. *Ad haec*, pruden- ter ac sanctissime praecipit, ut reditus, qui ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque civitatis vel provinciae.

Vel omittuntur missae, quia ex privilegio poterant aliqui unica missa satisfacere pluribus et etiam poterant pluribus collectis seu orationibus in una missa recitatis coaequare celebrationes plurium missarum. Hoc pariter privilegia quibusvis personis et quavis causa concessa omnino revocat et annullat.

Vel tandem omittuntur missae quia malus sacerdos illas vult omittere, plures eleemosynas congerit, licet sciat se peccare mortaliter et teneri ad restitutionem, ut ipsum docet S. Congr. in eodem decreto §. 1; sed huic malo quod remedium? Qui sprevit primam legem forsam secundam servabit? Suspendio puniuntur fures et sub ipsa furca fures novi enascuntur.

Attamen dico, quod sicuti quoad

commutationem oneris omissio missarum est casus reservatus Papae ad quem delinquentes necessario recurrere debent, ut supra diximus §. 2. assertione 2., ita quoad absolutionem posset declarari casus reservatus superiori immediato, ad quem tantum deberet reus mitti in brevi commutantem onus, sicuti nunc solet delegari aliquis ex doctoribus Theologis ad confessiones approbatis ab ordinario.

Multis de causis mihi suadet fore optimum hocce remedium:

1) Quia non minus in hoc casu quam in aliis reservatio esset fraenum cohibens licentiam delinquentium.

2) Quia superior immediatus tamquam medicus assistens infirmo cognoscit naturam, causas et symptomata morbi et sic potest applicare congruens remedium ad sanitatem ultra onus impositum a Pontifice in commutatione;

3) Quia superior immediatus sciens facultates delinquentis posset ipsum compellere ad restituendum et posset monere collegium, si illud esset obligatum pro ministro, unde fieret restitutio ejusdem in eodem, non tantum fieret in aequivalenti.

4) Denique loquendo de regularibus, quibus res permittuntur ad usum, puto esse omnino necessarium hoc remedium, quia quousque monasterium possidet rem alienam bona fide (puta ornamenta Ecclesiae, constructionem fabricae et alia hujusmodi facta in praedictis eleemosynis) non tenetur ad restitutionem, nisi prius constituitur in mala fide, quod fit per notitiam rei alienae a se possessae. Idem dicerem si monasterium possideret aliquid causa illius regularis, puta substantias haereditarias vel acquisitas ejus industria, concionando, legendo etc.

Neque dicas, quod superior uteretur scientia confessionis cum gravamine

poenitentis, quod fieri nequit ex decreto S. Congr. universalis Inquisitionis sub die 18. Novembris 1682. Respondeo enim negative, quia nullum esset gravamen poenitentis; qui ideo confitetur superiori, et dat pecuniam restitutam confessario, non potest dici gravatus. Addo etiam specialiter regularem non posse dici gravatum neque per usum scientiae neque per applicationem remedii, quia ex vi suae professionis tenetur pluries in anno ad nutum superioris ipsi revelare non solum quantitatem et pretium rerum eidem permissarum ad usum, sed etiam credita et debita. Hoc stante quod debitum magis urgens revelare suo superiori, quam illud quod contraxit ex talibus eleemosynis sic perceptis.

His igitur positis ad tria quaesita proposita sic responderem;

Ad 1: Non esse faciendum novum decretum, sed instandum in observantia primi, in quo quid ultra potuit facere S. Congr. et non fecit, ut constat ex dictis.

Ad 2: Pro casibus elapsis procedendum esse a S. C. et a Fabrica s. Petri, prout haecenus. Pro futuris vero declarari posse inobservantiam decreti esse casum superioribus reservatum.

Ad 3: Ubique terrarum instandum pro ejus observantia, quia ubique serpit malum. Sic v. g. posset ordinare ut ab ecclesiis certiorarentur episcopi et superiores respective, ab his vero certioraretur ipsa S. C. Concilii quotannis de hujusmodi onerum satisfactione.

(*Mss. Card. Casan. t. VI. p. 67.*)

*Votum Patris Dominici Carmelitae discalceati.*

1. Agendo de remedii adhibendis ne deinceps tanta et tam frequens contingat missarum omissio sive culpa-

bilis, sive inculpabilis dico prudentissima et optima esse illa quae offerunt in decreto S. Cong. Concilii Tridentini edito die 21. Apr. 1623 et primo, quod revocatis omnibus in hac re privilegiis aut juribus ad alios spectantibus soli summo pontifici fuerit reservata.

An autem si novum fiat decretum vel Bulla, in quo statim reservari quoque illi debeat hic casus inobservantiae, magni ponderis esse non crederem sed sufficeret poena istud violentibus jam imposita, potius reservandum esset peccatum eorum qui culpabiliter et malitiose consumerent imposterum missarum stipendia et inde illas omitterent.

Hujusmodi vero consumptio tunc maxime culpabilis ac malitiosa censenda esset quando fieret animo habendi compositionem a Rev. Fabrica S. Petri, quae ideirco tunc illam admittit, vel quando mali sacerdotes nec non superiores aut alii, ad quos pertinet onera Missarum suscipere et illis satisfieri curare, vellent tantum illas omittere vel absolute vel etiam illas intra praescriptum tempus non celebrare congerendo novas semper Missarum eleemosynas, quamdiu sciant se peccare mortaliter.

Talis peccati reservatio Summo pontifici vel Sacrae Poenitentiariae satis persuadere videtur tum illius gravitas dum in decreto teterrimus vocatur **abusus**, tum quia, ne ita facile deinceps committeretur, non mediocre fraenum esset.

2. Quia, loquendo de Missis perpetuis, earum omissio provenire potest vel ex eo, quod illarum onera cum nulla aut parum sint utilitate juncta vel nova earumdem onera recipiantur, plus quam per taxatum sacerdotum numerum satisfieri possit. His abusibus decretum viam sufficienter praeclusit §: *Praeterea* et §: *Ad haec*.

Solum advertendum est circa verba in hoc §. contenta de eleemosynis

manualibus et quotidianis pro missis celebrandis, scilicet accipi posse si oneribus antea impositis ita satisfactum fuerit ut nova quoque onera suscipi valeant, alioquin omnino abstinendum esse ab hujusmodi eleemosynis et sponte oblati in futurum recipiendis: advertendum inquam circa haec verba dubitatum fuisse an prohibeant absolute quominus accipiant eleemosynas qui acceptis non satisfecerunt et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere. Responsum autem fuisse non prohiberi absolute ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Per modicum tempus, quantum sit intelligendum, omnino determinandum est et non relinquendum unius cujusque arbitrio, rationabile autem videtur esse illud *duorum saltem mensium*, conformiter ad Concil. Trid. Sess. 23 de refor. cap. 1., ubi absentia parochi per duos menses a sua parochia modicum reputatur tempus.

Insuper cum in responsione ad 11. dub. habeatur quod quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non perhibeat, quominus eo casu eleemosyna accipiat pro iisdem missis juxta benefactoris consensum celebrandis. Valde conveniens mihi videretur quod ad omnem tollendam fraudem nec non occasionem calumniandi illas accipientem, quasi decreta violasset, specialem de praefato consensu mentionem fieri juberet in libro missarum, praesertim quando magnus esset illarum numerus.

3. Quia omissio missarum munua-

lium praesertim inter regulares oriri potest ex majori eorum numero quam ferunt redditus et eleemosynae cujusque Monasterii; huic etiam malo debitum adhibuit remedium decretum §. postremo.

Si dicatur dicta remedia posse esse nociva, quatenus possunt retrahere fideles ab elargiendis eleemosynis pro celebrandis missis, respondeo id minime sequi imo potius contrarium, servata enim debita benefactoribus charitas et justitia in celebrandis missis eo magis excitabit corda eorum in erogandis eleemosynis.

Sed esto quod aliqui id non facerent, hujusmodi incommodum nullius est momenti respectu gravis injuriae, quae contra praefatas virtutes fit illis, qui stipendia offerunt pro missis pro se dicendis, ita ut tot dicantur quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae sunt et tamen omittuntur.

Quare S. Congr. ut tantum deinceps malum impediret, proportionata, qualia sunt dicta, remedia jure merito adhibuit et eorum observantiam quantum potest intendit.

Ad cujus majorem adhuc perfectionem valde expediret quod novum saltem fieret decretum universale et responsionibus ad dubia super illud aliisque de novo animadversionibus compositum ad majorem explicationem, nec non etiam condemnarentur opinioniones docentium sacerdotes posse saltem accipere duo stipendia pro una missa vel applicare uni partem solitam et alteri partem quae correspondet ipsi sacerdoti vel indulgentiae. Sed melius foret si concederetur bulla vel Constitutio apostolica universalis: primo ratione gravitatis mali, secundo ratione universalitatis, tertio quia pluribus in locis non recipiuntur congregationum decreta, ubi cum reverentia pontificiae acceptantur bullae.

Ita salvo semper meliori iudicio ego censeo pro mea tenuitate.

(*Mss. Casanat. t. VI. M. p. 67.*)

*Votum P. Esparza S. J. circa eleemosynas pro Missis.*

1. Videtur omnino necessariam pro rei maximo momento decretum universale pro toto orbe, ut plerique Emmi Vicarii, in qua tamen videretur distinguendum inter eos, qui dant eleemosynas et imponunt onus missarum communitati alicui sive saeculari sive regulari, et inter eos, qui agunt cum singulis seorsim sacerdotibus, ut videlicet priores contractus notentur in libris prout in directione, posteriores non perinde necesse sit notare; distinguendum rursus inter eos, qui ex obligatione aliunde sibi imposita tenentur ad erogandas eleemosynas pro missis, et inter eos, qui illas erogant ex propria spontanea devotione aut voto, ut videlicet priores teneantur accipere syngrapham satisfactionis mutuae eamque exhibere suo quisque superiori; posteriores ad id non teneantur de necessitate.

2. Idea seu decreti seu bullae est optima, quae habetur in directione Emmi Vicarii, in qua tamen videretur distinguendum inter eos, qui dant eleemosynas et imponunt onus missarum communitati alicui sive saeculari sive regulari, et inter eos, qui agunt cum singulis seorsim sacerdotibus, ut videlicet priores contractus notentur in libris prout in directione, posteriores non perinde necesse sit notare; distinguendum rursus inter eos, qui ex obligatione aliunde sibi imposita tenentur ad erogandas eleemosynas pro missis, et inter eos, qui illas erogant ex propria spontanea devotione aut voto, ut videlicet priores teneantur accipere syngrapham satisfactionis mutuae eamque exhibere suo quisque superiori; posteriores ad id non teneantur de necessitate.

3. Taxa poenae pecuniaria pro singulis transgressionibus sacerdotum saecularium videbitur committenda episcopis in synodo dioecesana, ut eam statuatur et publicent juxta conditionem cujusque regionis. Sed melius forte statueretur universaliter lege inserta in decreto aut bulla, ut transgressor solvat in poenam plus decuplo v. g. quam surripuerit ex missis injuste omissis. Sacerdotes vero, qui non fuerint solvendi, patiantur vel reclusionem vel suspensionem vel obse-

quium hospitalis per tot determinatas dies vel quid simile.

4. Respectu regularium privato vocis activae et passivae quoad aliquos videtur poena nimis levis, quoad alios nimis gravis et nonnunquam in praedictum etiam communitatis. Nimis quidem levis quoad aliquos imo quoad plerosque, quia plerique religiosi sunt tam parvi, ut nullam omnino habeant spem quod possit illis aliquando prodesse vox passiva, vocem vero activam habeant serviliter in obsequium fere involuntarium magnatum ut sic dicam Religionis. Nimis vero gravis ac vehemens erga quosdam alios, qui ad maxima quaeque nati et in praecipuis muneribus antecederent occupati cum utilitate communi, non possunt privari voce activa et passiva absque ingenti moerore et absque nota valde praejudiciosa, quia et religio ipsa patietur nonnunquam detrimentum non leve, si habeat, velut emortuos, homines alioquin utilissimos pro directione et gubernatione aliorum, idque propter transgressionem unam vel aliam in missis, quae non raro contingit ex negligentia non admodum culpabili et cum praetextu indigentiae propriae aut communitatis nec non distractionis eleemosynarum ejusmodi, alioquin pie possent igitur poenae infligi in alium modum, ut reclusio per tot dies, tot jejunia, genuflexio continua tempore officii etc. per tot horas ac dies etc.

5. Regulares comprovinciales seu qui sunt ejusdem provinciae, facilius sibi invicem convivent propter dependentiam mutuam in Capitulis et quoad officia mutua saepe occurrentia, et contingit esse complices superiores et subditos quoad usurpanda stipendia missarum; quapropter expediret, ut concederetur facultas specialis et imponeretur obligatio generalibus religionum accipientium stipendia missarum, admittendas singulis quinquennis vi-

sitationes ex aliis in alias provincias cum facultate speciali revidendi juxta modum praescriptum modo in numero praecedenti. Circa praecedentem missarum omissionem seu culpabilem seu non culpabilem mihi occurrit aliud quam quod semperrespondetur in sacra Poenitentia, nempe ut hi, ad quos pertinet, quantum et quomodo possunt, satisfaciunt. Quae enim producunt quoad compositiones in allegato pro Fabrica revereri magis debeo, quam possim approbare. Res est ut ingenue fateor et humiliter apud me valde difficilis.

(*Mss. Card. Casanat. t. VI. M. pag. 65.*)

*Votum du P. Angeli Memanni, de la Campagne de Jésus.*

Ce votum comprend six articles, qui se resument ainsi:

Modification de l'escorde du décret, dans le sens du cardinal Ottoboni, car toutes les omissions de fondations ne sont pas coupables, puisqu'elles proviennent ou de la perte ou de la diminution des revenus aux quels ces charges sont annexées.

Explication au sujet de l'aumône que les simples prêtres peuvent recevoir, car souvent elle est relative à leur personne même.

Facilité d'accepter des messes pour le mois suivant, quand le mois précédent n'est pas encore acquitté, mais en ayant soin de prévenir les fidèles de ce retard.

Rejet de la privation de voix active et passive pour les religieux et d'une amende de vingt-cinq écus pour les séculiers; substitution de reclusion, du fouet et de jeûnes. L'infraction réservée pour l'absolution, soit à l'évêque ou au supérieur, soit au Pape.

Recours, pour les fautes passées, à la S. C. du Concile ou la Sacrée Pénitencerie; affectation des amendes

exigées, non plus à la Fabrique de s. Pierre, mais à la célébration de messes, ce qui est conforme à la volonté des testateurs.

Enfin, résumant sa pensée dans trois réponses aux questions proposées, le P. Esparza insiste pour qu'un décret général soit rendu et qu'il soit inséré dans une bulle pontificale.

*Votum P. Angeli Alemanni e Societate Jesu.*

Circa Decretum A. et Instruct. B. haec ea quae par est summa reverentia propono.

1. In Decreto A. mutari posset exordium juxta votum Emmi Ottoboni, praesertim cum omissio in celebrandis missis perpetuis plerumque oriatur non ex malitia aut negligentia Sacerdotum, sed ex magna immutatione aut totali amissione reddituum, quibus annexa est haec obligatio celebrandi, ut patet ex instantiis petentium condonationem missarum non celebratarum.

2. In Instructione B. videtur in 2. §. explicandum quod non intendat S. Cong. prohibere privatis sacerdotibus eleemosynas pro missis celebrandis accipere; dantur enim istae saepe a fidelibus in gratia ipsorum sacerdotum. Idem explicandum videtur in 7. §., alioquin aretaretur devotio fidelium et pauciores longe eleemosynae darentur pro celebrandis missis.

3. In eadem instructione §. 8. non videtur omnino prohibendum ne eleemosynae pro missis manualibus accipiantur mense subsequenti nisi sint prius celebratae omnes missae pro eleemosynis acceptis mense praecedenti. Cum enim non pauci sacerdotes saeculares vivant de his eleemosynis et istae uno mense copiosae sint, alio saepe nullae, redigerentur iidem sacerdotes in non leves angustias. Videtur igitur sufficere si teneantur de-